

O Ulrice, deprecor, ubi nunc est magniloque lingue iactantia? Magniloque lingue, in qua iactantia, ubi nunc est, deprecor, o Ulrice? Quo nunc cessit ille tuus intellectus mirabilis? Ille tuus intellectus mirabilis, quo nunc cessit? Numquid uber, -ra, -rum declinatur? Quia te dicere non puduit „uberis actiones“!

Vicesima octava est interpretatio, que non iterans idem reintegrat verbum, sed commutat, quod positum est, alio verbo, quod idem valet⁸⁴, hoc modo: *Ecce enim, quod immensa dico letitia et ingenti plenitudine refero gaudiorum^f: Diei nuper emicuit serenitas amenantis^g et illuxit noviter lucis claritas iocundantis, dum ex stirpe regia surculus processit ingenuus et ex regali prosapia prodiit virgula generosa⁸⁵. Vel sic: Iusta Dei provisio disponit omnia et gubernat; equa divinitatis^h providentia cuncta ordinat et conservat.*

Vicesima nona est commutatio, cum due sententie inter se discrepantes ex transiectione ita efferuntur, ut a priore posterior contraria priori proficiscatur⁸⁶, hoc modo: *Magister Bene ponens animam pro scholaribus et docendo desiit et docuit desinendo⁸⁷. Vel sic: Quod cupio, habere nequeo, et quod habeo, cupio non habere. Vel sic: Que capere posses, discere non desideras; que desideras discere, capere tu nequibis. Vel sic: Dicere affectas, que ab aliis non creduntur, et que creduntur ab aliis, dicere non affectas. Vel sic: Grata liberalitas et liberalis gratia domini nostri regis me de infimo posuit in sublimo.*

Tricesima est permissio, cum ostendimus in dicendo nos aliquam rem totam tradere et concedere alicuius voluntati⁸⁸, hoc modo: *Quoniam fortune in me sevientis illisioⁱ me deiecit de prosperitatis solio desolatum et nihil mihi penitus nisi corpus et animam dereliquit, hoc ipsum, quod sum, vobis offero exceptione qualibet relegata. Vos de me faciatis et utamini*

f) refero gaudiorum] verbessert aus gaudiorum refero Hs.
Hs. h) divitatis Hs.

g) ammenantis

i) verbessert aus illusio Hs.

84) Vgl. Rhet. Her. IV 38.

85) Glückwunsch zur Geburt eines Königssohns. (Wohl an Ottokar II. zur Geburt seines ersten Sohnes Wenzel, 1271.) E m l e r S. 979 Nr. 2254. Heinrich hat aus diesem Brief einen für die Stilfigur passenden Text zusammengefügt.

86) Vgl. Rhet. Her. IV 39.

87) Über den Tod eines Grammatiklehrers Bene an Scholaren, Petrus de Vineā, Ep. IV 7, Druck: A. Huillard-Bréholles, Vie et correspondance de Pierre de la Vigne (1865) S. 302 Nr. 6.

88) Vgl. Rhet. Her. IV 39.